

succumbimus, et tamen salutem, et evasionem desideramus: non ergo desperatio excludit desiderium, et consequenter, neque amorem concupiscentiæ in quo fundatur. Si ergo desperatio destruit habitum virtutis spei, et non destruit desiderium, et amorem concupiscentiæ erga rem speratam, quæ est Deus, manifeste concluditur, quod ratio formalis istius habitus, qui est secunda virtus theologica, non est aliquid commune actui sperandi, et desiderandi, sed speciale ipsi actui sperandi, ita quod sit amissibile per desperationem sine amissione rationis formalis desiderandi.

XI. Denique confirmatur, nam virtus spei potest amitti non amissa fide, ut determinat S. Thomas infra quæst. xx, art. ii: ergo neque amissa pia affectione erga Deum. Consequentia patet, quia fides fundatur in pia affectione voluntatis. Rursus: Pia affectio erga Deum non est sine aliquo amore supernaturali ipsius Dei, et veritatis ejus, non amore amicitiae, et perfecto (sic enim esset charitas, et consequenter non esset amissa spes) ergo concupiscentiæ, et imperfecto; ergo manere potest iste amor sine habitu spei, et consequenter virtus spei non habet pro objecto adæquato Deum ut concupitum amore concupiscentiæ, sed ut speratum ad adipiscendum.

XII. Et ex hoc manet impugnatus modus quo pater Lorca defendit hanc opinionem Suarii, hic sectione ii de spe, disp. vi. Qui modus aliquanto acerbior est modo defendendi patris Suarii, inquit enim num. xiii, quod motivum amoris, desiderii, et spei est unum, et idem scilicet amare Deum ut bonum nostrum. Et licet non inveniatur in omnibus actibus objectum formale quo spei, scilicet illud in quo speratur, sufficit tamen invenire objec-

tum formale quod, scilicet res sperata a quo sumitur potissima specificatio; nec requiritur quod in omnibus actibus inveniatur ratio formalis sub qua, seu objectum formale quo. Cæterum hæc philosophia nullo modo admittenda est, quia ratio formalis sub qua, non accidentaliter, sed intrinsece, et formaliter concurrat ad specificationem habitus, vel potentiæ, ut communiter supponunt philosophi, et tradit optime S. Thomas 2-2, quæstione XLVII, articulo xi: ergo ratio formalis adæquata alicui potentiæ, vel habitui reperiri debet in omni actu procedente a tali habitu, vel potentia. Consequentia aperta est, quia quicumque actus procedens ab aliqua potentia, vel habitu debet participare speciem illius, (alioquin produceret potentia actum extra suam sphaeram, et limitationem specificam, ad quod non habet capacitatem) ergo quicumque actus debet carere omni eo, quod destruit specificationem sui habitus, sed deficiente ratione formali sub qua, deficit aliquid essenziale, et intrinsecum, ergo solvitur specificatio actus et habitus.

XIII. At vero sententia patris Vazquez in duobus deficit a D. Thoma. Primo, in eo quod asserit de spe communiter dicta, quod ratio ardui in illa est idem quod adipiscibile per facultatem alienam, ita quod non sit positum in nostra potestate. Hoc dictum est expresse contra D. Thomam 1-2, quæst. xl, art. ii ad primum, ubi inquit quod: « Quia spes respicit bonum possibile, insurgit dupliciter homini motus spei, sicut dupliciter est ei aliquid possibile, scilicet secundum propriam virtutem, et secundum virtutem ulterius. Quod ergo aliquis sperat per propriam virtutem adipisci, non dicitur expectare, sed sperare tantum; sed proprie dicitur

expectare, quod sperat ex auxilio virtutis alienæ, ut dicatur expectare quasi ex alio spectare. » Ita D. Thomas. Et idem habet in quæstione, disputatione de spe, articulo primo. Et de magnanimitate dicit hic quæst. xvii, art. v ad quartum quod: « Magnanimus tendit in arduum sperans aliquid, quod est suæ potestatis, unde proprie respicit operationem aliquorum magnorum. » Ecce quomodo S. Thomas aperte fatetur de spe communiter dicta, et de illa quæ est in magnanimitate, quod respicit arduum assequendum propria potestate, licet spes theologica respiciat arduum, quod in potestate alterius, et mediante auxilio Dei consequendum est. Unde perperam pater Torres adducit hoc testimonium pro se tamquam clarissimum, solum enim probat quod spes theologica respiciat arduum, quod in potestate alterius, et mediante auxilio Dei consequendum est. Unde perperam pater Torres adducit hoc testimonium pro se tamquam clarissimum, solum enim probat quod spes theologica non nititur propriis viribus. Sed oppositum manifeste dicit D. Thomas de spe communiter dicta, quod potest inniti potestati propriæ: ergo cum essentialis ratio spei salvetur in spe communiter dicta, evidenter sequitur, quod ratio ardui, quæ essentialiter requiritur ad spem, non limitatur ad illud, quod est in potestate alterius. Et suffragatur ipsa experientia, nam quando aliquis solus incidit in periculum, verbi gratia, si decedit in fluvium, et natando conatur salvari, aut si in pugna conatur vincere, talis conatus est cum spe adipiscendi salutem, et evadendi periculum; si enim desperaret, non conaretur ad victoriam, sed succumberet; et tunc non sperat per auxilium alterius, sed per propriam actionem, quia ut supponimus, solus natat, et

solus pugnat; ergo potest dari spes circa arduum, quod propria potestate est assequendum.

XIV. Secundo deficit sententia Vazquez a D. Thoma in eo quod affirmat circa spem theologiam, scilicet non pertinere ad formale objectum ejus, quod sit circa bonum divinum, tamquam circa materiam per se, et essentialiter requisitam: sed sive bonum quod speratur sit divinum, sive creatum dummodo auxilio divino speretur, salvatur essentia spei theologice. In hoc deficit Vazquez, quia bonum speratum licet non pertineat ad objectum formale, pertinet tamen ad essenziale ex parte materiæ, taliter quod si per auxilium divinum speretur aliquid creatum, et non Deus, solvitur species hujus virtutis, sicut si tollatur coloratum a visu. Verba D. Thomæ sunt in quæstione, disputatione de spe, art. iv, ubi inquit: « Si substrahatur principale objectum spei, secundum quod est virtus theologica, ita scilicet quod beatitudo æterna jam non sit futura, sed habitata, cessat species hujus virtutis. Unde non est in beatis spes virtus theologica. Possunt autem sancti aliqua sperare inhærendo divino auxilio, vel ad se, vel ad alios pertinentia secundum communem rationem spei, quæ non est virtus theologica. » Ita D. Thomas, ubi clare loquitur contra patrem Vazquez ponendo quod potest aliquis ex divino auxilio sperare aliquid bonum a Deo, et tamen quia non est beatitudo æterna, quod est principale ejus objectum destruitur species hujus virtutis. Et eodem modo hic quæst. xviii, art. ii docet, quod solvitur species virtutis spei sublata beatitudine æterna, quæ est ejus objectum principale. Et in tota ista quæstione xvii, assignat pro essentiali objecto spei, non solum divinum auxilium, quod tenet se ex parte

formalis, sed etiam beatitudinem æternam, quæ tenet se ex parte materiæ, ut patet articulo IV et V, et in corpore et ad primum, et art. VI, solutione ad tertium.

XV. Ratione quoque efficaciter convincitur, quia auxilium divinum cui innititur spes theologica debet esse auxilium supernaturale quoad substantiam, et non solum quoad modum; ergo essentialiter debet tendere in bonum supernaturale quoad substantiam, et non solum quoad modum, quod est ordo gratiæ, in quo principale objectum est gloria, quæ est gratia consummata. Consequentia est manifesta, et antecedens probatur, quia auxilium divinum, quod est formale objectum spei theologicæ est formale specificativum, in sententia Vazquez, virtutis supernaturalis quoad substantiam, qualis est virtus theologica; ergo tale specificativum debet esse supernaturale quoad substantiam. Item quia de essentia virtutis theologicæ est quod habeat pro materia proxima ipsum Deum in se: ergo bonum divinum pertinet ad essentielle objectum spei theologicæ. Consequentia est certa, quia materia proxima alicujus virtutis non se habet accidentaliter ad illam, sed intrinsece et per se. Antecedens vero constat; tum ex D. Thoma in III, dist. XXVI, quæst. II, art. II, dicente, quod: « Objectum quod facit spem esse virtutem theologiam, est futura beatitudo; » tum ex eodem primæ secundæ, quæst. LXII, art. I et III, ubi docet, quod de ratione virtutis theologicæ est quod faciat hominem adhærere fini ultimo supernaturali, tamquam proprio objecto talium virtutum, ex parte quidem cognitionis per fidem; ex parte vero voluntatis, quantum ad intentionem, quæ respicit finem, ut assequendum per spem, quantum vero ad unionem amoris per chari-

tatem. Et ita de essentiali ratione virtutum theologarum est, ut non versentur circa media, sed circa finem ultimum. Sed si mediante auxilio divino speraretur aliquid creatum primario et per se, ex vitalis actus non attingeret Deum ut finem ultimum, si quidem auxilium non est ultimum, quod assequimur finem. Et licet ipsum auxilium ex potestate auxiliantis sit ipse Deus, tamen non induit rationem finis sperati sub hac formalitate potestatis auxiliantis, sed sub conceptu bonitatis fruendæ. Quod manifeste patet, quia divinum auxilium, etiam sumptum pro potestate auxiliante, in tantum respicitur a spe, in quantum reddit possibile bonum, quod speratur; ergo supponit dari aliquid bonum, quod sic reddatur possibile, et illud est id quod speratur ut assequendum et ut finis fruendus. Sed ille finis qui redditur possibilis, et assequendus a virtute spei, debet esse finis ultimus supernaturalis, (ut diximus ex D. Thoma) ergo tam essenziale est virtuti spei respicere bonum divinum, ut assequendum, sicut essenziale est omni spei respicere aliquod bonum, ut speratum.

XVI. Secunda conclusio: Formalis ratio spei theologicæ est omnipotentia auxilians, seu divinum auxilium non absolute, et ut exequens effectus ad quos concurrat auxilium, sed quatenus constituit ipsum bonum divinum, seu beatitudinem in ratione boni ardui assequibilis. Et sic induit specialem rationem boni, distinguens ipsum a bono terminante amorem charitatis, vel simplicis concupiscentiæ. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ in quæstione, disputatione de spe, art. IV, cujus hæc sunt verba: « Spei secundum quod est virtus theologica objectum formale est auxilium divinum, cui

inhæretur, et quamvis sub hoc objecto formali multa materialia sperata comprehendantur, unum tamen est principale, et alia sunt secundaria, vel adjuncta. Quod quidem potest accipi dupliciter uno modo ex parte rei speratæ: alio modo ex parte hominis sperantis. Ex parte quidem rei speratæ principale objectum spei, secundum quod est virtus theologica, est plena Dei fruitio, quæ beatum facit. Alia vero sub spe cadunt in ordine ad hunc finem, sive sint spiritualia, sive temporalia bona: » et eodem modo loquitur D. Thomas in eadem quæstione, articulo primo in corpore, ubi inquit: « Quod sicut formale objectum fidei est veritas prima, per quam, sicut per quoddam medium assentit his quæ creduntur, quæ sunt materiale objectum fidei, ita etiam formale objectum spei est auxilium divinæ potestatis, et pietatis propter quod tendit motus spei in bona sperata, quæ sunt materiale objectum spei. » Et inter ista materialia objecta, ponit S. Thomas esse principale, ad quod cætera referantur, fruitionem divinam: « Quia in ordine ad hanc fruitionem speramus adjuvari a Deo. » Ita S. Thomas, qui etiam videri potest solutione ad septimum. Et istæ auctoritates adeo claræ sunt, ut ponderatione non egeant, sed illis uti debemus ad intelligenda ea, quæ tradit S. Thomas in hac quæstione XVII, articulo II, V et VI, et fere per totam quæstionem, dum ponit pro objecto spei bonum divinum, ut habet rationem causæ adjuvantis, seu agentis. Et ex parte causæ finalis ponitur pro objecto principali beatitudo æterna, ita quod ea remota solvitur species hujus virtutis. Intelligendum est enim, quod bonum divinum, ut dicit causam finalem, et beatitudinem, est objectum principale spei, tamquam res sperata, et ex parte

objecti materialis primarii, quod etiam pertinet ad essentialem rationem objecti spei, tamquam materia; auxilium autem divinum quasi forma, seu ratio formalizans illud bonum finale, ut sit objectum spei.

XVII. Quod ut profundius penetrari possit, adverte quod Deus ut auxilians, et per modum causæ agentis potest dupliciter considerari. Uno modo, ut agens executive, et pure intra limites exercitii efficiendi, causa enim effectiva de se executiva est, et hoc modo non se habet ut formale specificativum spei; sed magis ut ratio executiva, et ducens in exercitio ipsam assecutionem boni sperati, et quia spes proprie ordinat intentionem ad Deum, ordo autem intentionis est distinctus ab ordine executionis, ideo causa effectiva sub consideratione exequentis non specificat formaliter spem. Alio modo consideratur ut denominans objectum possibile, etiam antecedenter ad ipsam executionem, sicut theologi communiter dicunt creaturas denominari possibles, non per aliquam potentiam in illis intrinsece positam, sed per omnipotentiam divinam a qua extrinsece denominantur possibles, ut expresse docet S. Thomas I part. quæst. IX, articulo II. Bonum ergo, quod ex se habet rationem causæ finalis, et est appetibile, ex habitudine agentis redditur possibile, et ulterius, si sint difficultates in executione talis possibilitatis redditur vincens illam, et repellens impedimenta opposita. Ex hoc autem, quod bonum induit non solum communem rationem boni, quod est esse appetibile, et attractivum (est ratio boni absolute considerata) sed specialem quamdam rationem, quasi comparativam, qua consideratur illud bonum, ut repulsivum contrariorum, et supereminens difficultatibus in sui assecu-

tione, sic transit a ratione boni concupiscibilis ad rationem boni ardui, et irascibilis, et sic redditur objectum spei. Quæ est singularis doctrina S. Thomæ maxime hic observanda, inquit enim prima parte, quæst. LXXXI, artic. II, quod objectum irascibilis est arduum: « Quia tendit ad hoc quod superet contraria, et superemineat eis. » Quod magis explicans quæstione sequenti LXXXII, artic. V, inquit: « Quod irascibilis respicit propriam rationem boni, secundum quod est repulsivum, et impugnavivum ejus, quod infert nocumentum. » Itaque bonum ut allicit et attrahit, dicitur concupiscibile, ut autem opponitur malo et vincit illud, dicitur arduum et induit quamdam specialem rationem superioritatis, et pretiositatis. Sic enim dixit sanctus doctor in III, distinction. XXVI, quæstion. I, artic. II ad primum: « Quod difficile vel arduum addit quamdam specialem rationem bonitatis, scilicet pretiositatem quamdam ex hoc ipso, quod de facili non habetur, sicut dicitur omne rarum, carum. » Et vere est, quia licet ratio ardui, vel difficilis, non videatur habere rationem boni, quatenus voluntatem non attrahit, sed magis retrahit, tamen hoc verum est considerato arduo ex parte periculis, et laborum, quæ vincenda sunt; at vero arduum ex parte victoriae, quatenus ipsa bonitas vincit hæc pericula, et rationem mali oppositam, sine dubio induit specialem rationem, quia non consideratur ibi bonum absolute et ut alliciens, sed bonum ut vincens, et repellens nocumenta.

XVIII. Igitur auxilium divinum, sive omnipotentia Dei, quatenus supponit quidem ipsam rem separatam, non solum est bonum attractivum (quod est habere absolutam rationem boni, sed etiam constituit formaliter ipsum bonum, ut vin-

cens, et repellens impedimenta ascensionis, et sic formaliter constituit rationem objecti spei, ita quod possibilitas sub hac consideratione non se habet ut conditio extrinseca, sed intra lineam ipsius rationis boni constituit specialem rationem bonitatis, id est, non bonitatem absolute ut est attrahens et alliciens, sed ut est vincens, et supposita victoria, etiam alliciens, et sic est objectum spei. Unde Genes. XV dixit Dominus ad Abraham: *Ego sum protector tuus, et merces tua magna nimis*, ubi formalissime explicatur objectum spei, est enim Deus protector ratione sui auxilii, ex quo ipsemet induit rationem mercedis magnæ, id est, arduæ et supereminentis, quæ debetur victoriae periculis et laborum, quæ ipsius protectione et auxilio superantur, et sic est objectum spei.

PROPONUNTUR ET SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XIX. Præcipuum fundamentum patris Suarez, petit illam difficultatem a quo principio eliciatur amor concupiscentiæ erga Deum, ut distinguitur ab amore amicitiae. Et enim amor Dei auctoris supernaturalis, in quantum est bonum concupiscibile nobis est amor supernaturalis, cum attingat Deum ut supernaturaliter amabilem, et est amor bonus et honestus, cum non sit contra aliquam regulam rationis tantum bonum sibi desiderare et concupiscere; ergo requirit de se aliquod principium supernaturale elicitivum talis amoris et desiderii, sed ad illud non potest assignari charitas, quia hæc elicit amorem amicitiae, cujus ratio formalis est bonum divinum propter se, ratio autem formalis concupiscentiæ est

bonum divinum mihi. Præterquam quod potest dari iste amor concupiscentiæ in peccatore, sicut et in illo manet spes, quæ in tali amore fundatur; et tamen in peccatore non manet charitas: ergo principium elicitivum illius, vel erit virtus spei, vel alia quarta virtus theologica, vel nulla. Quarta virtus ponenda non est: negare autem habitum, seu virtutem pro tali actu est negare principium connaturaliter elicitivum illius. Et deberet dici, quod vel elicitur ab auxilio, vel a sola potentia naturali; a sola potentia non potest, cum sit actus supernaturalis; ab auxilio autem connaturaliter elici non potest, quia auxilium supponit principium proportionatum, cui præbeatur, et datur solum per modum transeuntis, et actus imperfectos: iste autem actus elici potest permanenti modo, et in suo genere perfectus est: ergo requirit habitum; ergo si non est alius assignabilis elicitur ab habitu spei.

XX. Ad hanc difficultatem, mirum est quam varii modi dicendi circumferantur. Ne vero tempus teramus in illis recitandis et rejiciendis, admitto illum actum esse supernaturalem, etiam quoad substantiam, quia fertur in Deum auctorem supernaturalem, scilicet in ipsam beatitudinem æternam, quam sibi concupiscit. Et dico, quod duplex desiderium, aut amor concupiscentiæ erga Deum habere potest: alter perfectus, et consequens ad amorem amicitiae: ex eo enim quod amicitiam habeo ad Deum et ad homines, qui sunt aliquid Dei, etiam meipsum amo tamquam aliquid Dei; et consequenter volo mihi bonum divinum, et ex hoc amore redditur spes formata per ipsam amorem, ut dicit S. Thomas quæstione XVII, articulo VIII: alter est imperfectus antecedens ad charitatem, et amorem amicitiae, et ex illo

nascitur spes secundum substantiam, etiam si informis sit. Si sit amor perfectus primi generis elicitur a charitate; si imperfectus, et secundi generis elicitur in via ab habitu piæ affectionis, a quo originatur fides, et mediante fide spes: in patria autem, si talis actus imperfectus datur, elicitur a fruitione divina, vel ab auxilio illi debito, quia iste actus solum ibi transeunter habetur, si tamen habetur.

XXI. Explico singula ex D. Thoma, nam charitas ex eo quod amat Deum, etiam amat seipsam, et vult sibi bonum divinum, ut constat infra quæstione XXV, articulo IV. Et quia hoc desiderium ortum ex amicitia non habet aliquam specialem difficultatem supra ipsum amorem amicitiae, quo amat Deum et se, ideo non habet specialem habitum distinctum a charitate, a quo eliciatur, ut dicit ipse S. Thomas infra quæstione XXVIII, articulo IV. Sed de hoc non procedit argumentum, sed de amore concupiscentiæ, qui antecedit amicitiam. Et dicimus elici ab habitu piæ affectionis, quæ etiam fidem antecedit, spes enim supponit et causatur ex aliquo amore, saltem imperfecto, respectu rei amatae, ut constat ex S. Thoma 1-2, quæstione XI, art. VII, et hic quæstione XVII, articulo VIII et in III, distinctione XXVI, quæstione II, articulo III, quæstiuncula II. Quare antecederet ad spem debemus ponere hunc amorem, et consequenter principium elicitivum illius. Et quod hoc principium sit habitus piæ affectionis, qui non est quarta virtus theologica, sed inchoatio fidei, et ad ipsam reductive pertinens, ut late ostendimus in tractatu de fide, de summa ex ipso S. Thoma quæstione XIV de veritate, artic. VII ad decimum ubi inquit: « Inchoatio fidei est in affectione, in quantum voluntas determinat ad assentiendum his, quæ